



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Formularium Episcopale**

**Barbosa, Agostinho**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

25. Forma expediendi litteras Apost. monitoriales de excommunicandis his, qui bona deperdita vel subtracta restituere aut revelare recusant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

semel ab Episcopo in civitate & diocesi suis pravo examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro majori conscientiae suae quiete examinari de novo poterunt. Inhibentes quibuscunque Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut praefertur, ne vigore deputationis & approbationis, ab eisdem Magistris, & ministris Provincialibus, etiam quod illarum occasione Ordinariis hucusque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, saecularium Confessiones auferre praesumant: Decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac nostris litteris praedictis, & alys postea quibus curque Regularibus concessis, & forsan extensis quas quo ad ea quae praesentibus aduersantur, & contrariantur penitus & omnino reuocamus cassamus, & irritamus &c. priuilegys quoque, indultis & litteris Apostolicis, etiam Mari magno seu Bulla aurea, aut alias muncupatis &c. illis alias in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque. Ut autem praesentes litterae &c. Verùm quia difficile foret &c. Nalli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis, decreti, declarationis, inhibitionis, re-

vocationis, cassationis, irritationis, statuti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae M.D.LXXI. octavo Idus Augusti, Pontif. nostri anno sexto.

Forma expediendi litteras Apost. monitoriales de excommunicandis his, qui bona deperdita, vel subtracta restituere, aut revelare recusant.

XXV.

Part. 3. allegat. 96.

**S**ANCTISSIMUS IN CHRISTO PATER & DN. D. Pius divina providentia Papa V. volens super expeditione mandatorum quae fiunt in forma significavit, pro rerum subtractarum, aut deperditarum restitutione, seu illarum, & illas subtractarum revelatione modum & formam statuere (manente in aliis reformatione officii Correctoris contradictarum à sanctitate sua edita) praesenti, quod perpetuo observari vult scripto, ordinat, ut mandata pro restitutione, seu revelatione huiusmodi dentur (modò super illis supplicationes in praesentia sua Sanctitatis signatae fuerint) ad eorum duntaxat instantiam, quorum civiliter interest. Quae supplicationes rem ipsam de qua agi-

Ha 3

100

sur, reique valorem nominatim & specificè exprimant, nisi forte sint pro Ecclesiis, locis piis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut universalibus successoribus, quos verisimile est certam eorum notitiam non habere, tunc etenim hac ipsa personarum qualitate expressa, ita demum fieri poterit quædam in genere designatio rerum, si designatio neque nimis vaga, & incerta, atque adeo inverisimilis sit, & tamen ostendit res ipsas (id quod præcipue in omnibus attendendum est) minimè vulgares existere. Committantur autem Episcopo Ordinario loci, vel ejus Vicario in Spiritualibus generali sub hac forma verborum, quæ est ex Conc. Trident. videlicet: Si causa diligenter & magna maturitate per ipsum examinata pro rei, loci, temporis & personæ qualitatibus sibi pro sua conscientia videbitur expedire. Decernentes irritum &c. Placet, publicetur, & describatur. M. Publicata 27. mensis Junii 1570.

---

Jurisdictio Episcoporum visitandi Parochiales Ecclesias Fratrum Militum S. Joannis Hierosolymitani, quoad animarum curam, & Sacramentorum administrationem.

XXVI.

Part. 3. allegat. 74.

PIUS Episcopus, Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit pastoralis officii debitum, cui disponente Domino præsidemus; ut ad ea sollicitè intendamus, per quæ discordiarum & litium ac controversiarum quarumlibet materia tollatur. Sanè cum nonnulli ex venerabilibus fratribus Episcopis, dilectos filios Magistrum, Ballivos, Castellanos Empostæ, Priores, Donatos, Capellanos, Fratres, Milites, & alias quascunque personas Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani ratione Ecclesiarum curam animarum habentium, illarumque Rectores, & Ministros ad ipsum Magistrum spectantium, & pertinentium, juxta tenorem Sacri œcumenici Concilii Trid. visitare; dictus verò Magister & alii prædicti, ipsos, illorumque Ecclesias, Capellanos, & Ministros dictis decretis minimè comprehendendi, sed ab illis exemptos esse prætenderent, materia quæstionis orta. Nos igitur eorum paci & quieti consulere volentes, omnes lites & controversias hujusmodi tam in Romana Curia, quàm alibi coram quibuscunque judicibus in quacunque instantia pendentes, illarumque status, & merita pro sufficienter expressis habentes ad nos avocantes eas cassamus, extinguitur, & super illis perpetuum silentium imponimus, ac omnes dictæ Militiæ personas censuris harum controversiarum occasione contra eas per quoscunque latis & incuris absolvimus. Et ne in futurum aliqua amplius controversia oriri possit, decernimus, declaramus, statuimus omnes & singulos locorum Episcopos